

se obligandi facultatem, absque necessitate exprimendi ejus indigentia causas, idcirco tali casu creditor, vel alter contrahens non tenetur esse sollicitus veritatem, & sufficientiam causae narrare indagare, sed sufficit quod adfit veritas ipsius debiti, seu ipsius causae contrahendi; Respectu verò mulieris vel minoris vel alterius personae privilegiae, quae aliene alias valide obligationi accedat, sufficit quod vera, & iusta sit illa causa, ob quam ita accessio facta sit, ut ita distinguendo praesertim habetur *d. dec. 232. n. 9. & segg. p. 12.* Ac propterea neglecta oppositione pro creditore decretum fuisse mihi suppositum fuit. Ideoque ejus momenti sumus quomodo in casuram decisionibus; ac doctrinarum, & decisionum applicatione sit procedendum.

Iusta verò ista resolutio visa est, quia ex facti circumstantiis de bona fide creditoris constare videbatur, quod scilicet iuxta penam connaturalem usum hujusmodi contractus societatis officii ex relatis in suo *particulari titulo* praestatio fidei iustoris in genere convenita erat absque fraudolenta praerogatione, ita colorandi fidei iustionem mulieris; Secus autem ubi de hoc constaret saltem per sufficientia argumenta, & praesumptiones, ut scilicet ita imminetia, affectata fuerit ex praerogatione inter creditorem, & virum debitorem, cum tunc nullatenus ista causa attendenda veniat, quia deficit ejus causa; Ac propterea firmum remanet id quod pluries insinuatum est, illas scilicet censendas esse quaestiones potius facti, quam juris decidendas ex singulorum casuum circumstantiis bonam; vel respectivè malam fidem redolentibus, non autem procedendo cum generalitatibus in abstracto, vel cum auctoritatibus ad litteram.

ROMANA DOMUS
CUM APOTHECAE
PRO VINCENTIO GALLO.
CUM N.

Causa disputata coram Iudice Sancti Spiritus, terminata, ut credo, per concordiam.

De illis contractibus mulierum in quibus in Urbe, non obstante Statuto, adhiberi non solent solemnitates.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 In quibus contractibus solemnitates status requiruntur.
- 3 De salario vel mercede Curialium.
- 4 An, & quando haeres dicat de nullitate contractus defuncti.
- 5 De eodem de quo n. 2.
- 6 De invalidis actibus inter Medicum, & infirmum, vel rem, & Iudicem, sive Causidicum, & Clientem.
- 7 Ad quid prosit questio an statutum procedat in omnibus contractibus, vel solum in quatuor, de quibus loquitur.
- 8 De eodem, & quomodo id intelligendum sit.
- 9 Admonitio super modo intelligendi, & practicandi leges.

D I S C. XLV.

DE ann. 1650. N. Vidua conduxit operam Vincentii caularum Patroni pro ejus activis, & passivis causis peragendis cum quadam mensura vel annua conventa mercede, iuxta consuetudinem in Procuratoribus, & Sollicitatoribus frequentem; In Advocatis autem nimum taram, penesque abolitam ex insinuat *disc. 46. in relat. Cur. factioque* plurimum annualitatum cumulo, cum solemnitatibus statuti 151. in solutum ei dedit per actus geminatos domum, & apothecam, pro quarum venditione haeres dicitur mulieris, quae donec vixit nullum fecit impugnationis actum, iudicium instituit coram Praelato Iudice deputato Sancti Spiritus (incertum est qua ratione competente) incertumque est causae exitus, dum post unicum informationem, amplius de ea actum non audivi, ideoque probabile est quod fuerit per concordiam.

Auctor fundamentum erat in eo, quod licet in alienatione adhibita fuissent solemnitates materiales consistentes in decreto Iudicis, & interventu proximiorum, deerat tamen melior solemnitas formalis causae utilis, vel non damnosae, iuxta pluries enunciata opinionem, cum qua hodie vivitur, dum prima conventio ex qua debitum resolutabatur, & in cuius causam alienationes factae erant, eidem carebat solemnitatibus, quas scribentes pro actore necessa-

rias esse dicebant, nam hodie extra controversiam receptum est, quod dictum statutum, quamvis in verbis loquatur de quatuor contractibus nempe de pactis non petendo, refutationibus, quietationibus, & donationibus, adhuc tamen, istis demonstrativè, non autem taxativè enunciatis, locum habeat in omnibus aliis contractibus, & actibus, in quibus mulier vel minor laedi potest, ac propterea magis receptum est, ut etiam in aditione haereditatis occultante quasi contractum habentem potentiam laesionis, & praerogationis, eadem solemnitates requirantur ut in praecedentibus, & alibi pluries advenit, atque sunt propositiones hodie in Curia praesupponendae.

Pro Causidico reo convento scribens, quamvis genium nimium abhorreat, ac damnet hujusmodi mercedem cumulos, pro quibus Curiales ad Clientibus, & praesertim mulieribus, vel minoribus, aut idiotis capent bona, ut insinuat *d. disc. 46. in relat. Curiae*, adeo mihi placeret statuere idem, quod disponitur per Regiam pragmaticam vulgo nuncupatam de anteptho Regni Neapolitani *registrat. sub tit. de donat. propter nupt.* circa illam mensuram assignationem, quam viri uxori bus facere solent, ut non nisi pro unico anno competat actio; Sive laudarem illam praerogationem, quam in famulorum, & operariorum salario induxerunt quaedam statuta ex relatis per *Surd. dec. 24. Ann. singular. 422. Androel. contr. 245.* cum aliis per *Zacch. de Sal. quaest. 105.*

Nihilominus quoad ea quae juris sunt, dicebam etiam in sensu veritatis, quod nisi extrinsecè accederent circumstantiae quae fraudem, & conventionem redolerent, pro ipso reo absolvendo responderi deberet, cum ipsae alienationes haberent jam statuti solemnitates, prima verò conventio, ex qua debitum oriebatur, cum successiva praestatione servitii iustificatum, illis non indigeret.

Ad id autem ita sentiendum me principaliter impellebat illa valde considerabilis circumstantia in praecedentibus, & alibi pluries considerata quod scilicet ipsa mulier veritatis conscientia nunquam vivens conquesta est; Quamvis etenim, stante decreto annullativo statuti per quod ejus forma non servata contractus pro infecto habendus est, verus in puncto juris, magisque receptum sit, ut etiam ad haeridem transmittatur ista actio; Attamen circumspicivè in hac materia procedendum videtur, quando ista accedat circumstantia, quod scilicet ipse principalis contrahens donec supervixit, non reclamaverit neque impugnaverit, nullumque contradictionis actum fecerit, non quidem ut ista acquiescentia simpliciter, & de per se apta sit revalidare actum ab initio invalidum, dum ex pluries insinuat, ac recepta conclusione ad hunc effectum requiritur nova positiva explicita vel implicita voluntas cum requisito scientiae utilitatis, tam facti, quam juris, iuxta nimum frequentes, ac notorias decisiones, sed ut non generaliter in omni casu patiformiter in hoc procedendum sit, & regulandum potius veniat arbitrium seu iudicium ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus ad bonam, vel respectivè malam fidem inferatur, quoniam iniquum, ac irrationabile videtur, ut muliere vel minore facta majori acquiescente, quae veritatis conscientia se debitoricè, agnoscat, quodque actus esset sincerus, adeo ut ejus anima alias gravata remaneret, ita praeter ejus intentionem, contra bonam fidem, ac veritatem, ab ipso vivente agnitam, haeredi ad lucrum, & locupletationem, ex quodam indifferetio, & irrationabili rigore, licetum esset improbare illum actum, quem principalis doctus vixit semper approbavit, ejus animam ita gravando, ideoque ut saepius advertitur, hu usmodi leges in spiritu, vel in ratione magis quam in littera attendi deberent, respiciendo scilicet ad finem, ob quem conditae sunt, & a controversis casibus congruat, necne illarum ratio, ut quandoque licet raro per Rotam practicum habemus praesertim *dec. 495. p. 13. rec. & in aliis sup. dec. 32. & seg. & in aliis advertitur.*

Verum ubi etiam, hujusmodi consideratione neglecta, cum summo rigore procedendum esset, adhuc tamen dicebam, quod solemnitates non essent necessariae ex qualitate contractus, in quo ex communi usu hujusmodi solemnitates ratione currentis commercii adhiberi non solent, eodem modo quo non adhibentur in locationibus, & conductionibus domorum, & in conventionibus pro salariis, & mercedibus famulorum, vel operariorum, sive in emptionibus, & venditionibus mobilium usualium, vel fementationum, concernentium vitium, & vestitum, alioque currentes usus, ob nimum incommodum, quod commercio pararetur; Ideoque idem dicendum esset in hac specie conventionis, cui eadem in omnibus ratio congruit; Quamvis enim iste actus aliquam

quam habeat majorem suspicionem ob depravatam conditionem eorum quibus tabularum forensem potius quam Curialium nomen congruit, ut advertitur *d. disc. 46. in relat. Cur.* Attamen id procedere quidem debet praedictam contumeliam prohibitionem, sive hujusmodi contractum a professionis exercitio extraneorum irritationem ex eisdem rationibus de quibus *sub tit. de test. disc. 51. ubi de Medico vel Iudice, & aliis ibi enunciatis, non autem ex isto capite non adhibitarum solemnitatum, cum rationabiliter ex subiecta materia non sit in usu.*

Ad hunc autem effectum ponderabam verba statuti restricta ad dictos quatuor contractus, adeo utque ad initium currentis saeculi sub dubio nimum esset, an extra illos servandum esset, quod cum accerrimis disputationibus actum fuit, ut patet ex tot discursibus, ac votis, & decisionibus registratis per *Fenzon. ad idem Statutum 151.* pleurisque procedentibus, cum statutorum regula de qua in eorum peculiari sede *(succession. ab intestat. & praesertim disc. 15. & dec. 35. de iudic. super eorum stricta, & rigorosa intelligentia ad litteram, sive ad limites verborum, quacumque prohibita extensione, rationis identitate quinimo majoritate neglecta.*

Quamvis autem (& quidem probabiliter) ex magis communi sensu decem fuerit, ut demonstrativè potius, quam taxativè praestati quatuor contractus exprimerentur, ideoque in omnibus aliis quibus eadem ratio congruat, statutum attendi debeat, & possimè ob aliquam retroactam observantiam, tamquam interpretem; Attamen id nimum considerabile in hoc proposito dicebam ad dignoscendū id quod supra insinuatum est, quod scilicet nostri Majores, non in littera, sed in spiritu illud intellexerunt; Et consequenter quod eodem sensu retento trahi non debet ad illos actus quibus non assisteret, sed potius resisteret, non solum observantia, sed etiam ipsa ratio commercii, eodem modo quo ut supra in locationibus, & conductionibus domorum, alioque usualibus contractibus praxis docet, Atque exinde moneri debent Iudices Christianiorum rationabilium potius quam Iudeorum litteralium stylium in hujusmodi legum intelligentia, & praxi adhibere, in spiritu scilicet vel in ratione potius quam in littera, non autem generales propositiones omnibus casibus indefinitè, & pariformiter applicare, nullatenus ad diversas circumstantias bonam vel respectivè malam fidem arguentes reflectendo quo nil detestabilius, nilque ineptius, ut etiam pluries in praecedentibus, & praesertim *disc. 33. & disc. 35. de iudic. & alibi advertitur.*

ROMANA CENSUS
PRO JACOBO DRAGONDELLIO
CUM FRANCISCO.

Causa disputata in Tribunalia Fabricae resoluta pro Jacobo, & postea concordata.

De obligatione mulieris, an & quando exigat causam ex statuto 151. Et an ille, qui autorizavit actum tamquam curator, possit illum impugnare tamquam haeres mulieris.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Tutor, vel curator non impugnat actum gestum cum ejus auctoritate.
- 3 De eadem conclusione, quando & quomodo procedat.
- 4 Quae considerationes in hoc proposito fieri debeant.
- 5 De differentia inter Curatorem generalem, & particularem.
- 6 De eadem conclusione de qua n. 2.
- 7 De alia consideratione habenda in regulatione contractuum minorum, & multorum super intelligentia Statuti.
- 8 Attendi debent opiniones cum quibus vivebatur de temporis actus.
- 9 De eodem de quo n. 7.

D I S C. LXVI.

Imposuit mulier de anno 1639. Censum cum decreto Iudicis, & cum interventu Curatoris, loco proximiorum, atque donec vixit nullum fecit impugnationis actum; Cumque ejus defunctae haereditas obvenisset in Franciscum qui fuerat Curator in contractu, pulsatus ille per credito-

rem, vel ejus cessionarium coram Iudice Fabricae, cojus erat subditus atione muneris, opposuit de nullitate actus, ex eo quod causa narrata non verificaretur in parte; ideoque non constaret quod contractus fuisset utilis, vel saltem non damnosus mulieri, iuxta opinionem, cum qua hodie proceditur ex pluries supra insinuat; Sed hoc non obstantè pro creditore iudicatum fuit; Cumque in alia instantia per Iudicem à Congregatione deputatum aliquè haberentur difficultates super formalitate solemnitatum materialium, quod scilicet mulier haberet quendam conjunctum non citatum, id concordiae ansam dedit.

Quatenus itaque pertinet ad praesentem defectum causae, super quo pro creditore scripti (cum alter defectus in alia instantia excitatus, haberet solam inspectionem facti); Ex duplici fundamento dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, respondendum esse pro creditore; Primo nempe quod ubi etiam contractus impugnabilis esset per ipsam mulierem, vel etiam per alterum ejus haeridem, non tamen impugnari posset per ipsum reum conventum, in quem haereditas obvenerat, dum contractum auctoraverat, tanquam curator; Tum ex auctoritate firmitatem quod contractus in initio per minorem vel per pupillum impugnari quidem potest ab ipso principali vel ab alio successore, ejus personam, & iura representante, non autem per Tutorem, & Curatorem, quid doli exceptione repelli potest, ex deductis per *Menoch. conf. 58. n. 36. Maltril. dec. 287. n. 42. & segg. add. ad dec. 510. n. 24. & segg. p. 5. rec. Dunozet. dec. 611. n. 1. & segg. repetit. dec. 42. post Merlin. de pignor.*

Tum etiam ex nimum probabilis ratione, quae sola sufficere deberet, ubi etiam legales auctoritates non haberemus, vel quod illae non percuterent casum praesentem Curatoris particularis adhibiti pro sola formalitate ad satisfaciendum statuto, absque eo quod le obligare una cum minore vel muliere, & cum quo praesupposito suae obligationis loquuntur dictae auctoritates, quod scilicet cum ipse curator, iuxta solitum formularium, asserat Iudici, qui ejus magis quam mulieris fidem sequitur, quod contractus non tenderet in damnum, sed potius in utilitatem mulieris, asserendo causam esse veram, ita alter contrahens, quae fidem quoque sequutus est; Ac propterea resultaret inconveniens in iure damnatum, & de quo praesertim habetur *sub tit. de censibus, occasione agendi de censu imposito super fundo non suo, vel non capaci, ut mendax commodum resportaret ab ejus mendacio, & falsa asseritione contra innocentem, qui ejus fidem sequutus est.*

Ponderando in idem qualiter personarum, ac etiam effectum ad quem de hoc agebatur, quoniam creditor ad cuius favorem census impositus fuerat erat persona simplex, & idiota, in qua nulla fraudis, & captiosis suspicio cadebat, cum fors verè, & effectivè tradita fuisset, & e converso curator aliquam habens attentionem cum muliere impositrice census, erat Causidicus de illo parum commendabili ordine, qui recentetur *disc. 46. in relat. Curiae*, dum vacabat muneri unus ex Procuratoribus Fabricae, quod in Curia sufficit indicare pro ejus qualitate exprimenda.

Ac etiam circa effectum, quod non agebatur de illa actione doli, quae alteri contrahenti cum pupillo, vel cum minore impugnantem actum quandoque competit contra Tutorem, vel Curatorem, adeo ut per quandam speciem poenae damnificatus de proprio remanere debeat; Et quo casu strictius procedendum est circa probationem doli, & deceptionis; Ac propterea praxis nunquam id docet, praesertim contra istos Curatores particulares pro quadam formalitate adhiberi solitos, quamvis nimum commendabile atque Republicae expediens videretur ut hujusmodi Curatores, ac etiam Iudices, qui cum nimia facilitate, nullatenus advertendo ad finem, ad quem adhiberent interponunt decreta, contenti solum propina, sed emolumento, uni vel alteri contrahenti referent ut id quod interest, quodies ex parte alterius contrahentis non concurrat probabilis suspicio doli, & fraudi.

Sed idem Curator contentebat potius de lucro captando, & de se locupletando de alieno, quoniam possidens bona haereditaria debitoricè, quae veritatis officia bonam fidem agnoscendo, donec vixit nunquam conquesta est, nullumque fecit impugnationis actum, ita ab hoc onere, se eximere satagebat, ut de curatore possidente bona principalis habebat per add. ad dictam *dec. 510. p. 5. rec.* Itaque ac similes considerationes à Iudicibus praecipiendi haberi debent, hujusmodi causas regulando, & decidendo potius cum circumstantiis facti quam cum generalibus propositionibus, & cum judicis formalitatibus Juristarum, ut pluries in pra-

præcedentibus advertitur semper tamen congruum, & oportu-
m est repetere, & inculcare.

Præterea, ubi etiam hujusmodi circumstantiæ cessarent, adeo
per ipsam mulierem adus impugnaretur, quod
consequens irrationabilibus formalitatibus; Adhuc tamen ad-
vertitur, quod scilicet clarus videatur error de præsentibus
quod recedendo ab intermedia opinione, proceditur cum
antiqua magis rigurosa desiderandi veritatem causæ de factis,
& de iure regulari illos contractus, qui initi essent in
eo tempore, in quo tenebatur diversa opinio juxta dec. 36.
post Pacificam, & dec. 33. p. 4. rec. tom. 2. cum similibus,
dum contrahentes, ubi etiam eis licet idiotis obici possit
id, quod quandoque cum indifferetio, & irrationabili rigore
obici solet ex pluries infirmatis sub tit. de usur. quod scilicet
consulere debeant peritos, adhuc ab illis responsum ful-
set, quod non tenebantur inquirere hanc rigorosam veri-
tatem de facto, & de iure, stante quod Rota à cuius sensu
inferior Curia forensis pendere videtur, tunc in ea re-
spondebat opinione, cum qua propterea procedi debet in re-
gulatione illorum actuum, qui de eo tempore initi sunt,
cum alias daretur magnum inconveniens, quod contra-
hentes ab hac publica fide remaneret decepti, ut in propo-
sitis transactionibus bene advertitur apud Ottob. dec. 25.
n. 12. & alibi; Quoties præsertim non constat de dolo, &
circumventione creditoris, vel alterius contrahentis.

Multo igitur magis in hac facti specie, quod ex persona-
li qualitate creditoris, atque ex sinceritate actus, veræ, &
effectivæ traditionis sortis, ista suspicio penitus cessabat;
Et quod magis est ipsa mulier debitoris veritatis recte con-
fessa, hanc bonam fidem agnoscendo vivens nullum fecerat
impugnationis actum, vel signum dederat; Itaque videtur
verus, ac proprius modus, cum quo hujusmodi contro-
versia decidenda.

**SPOLETANA CENSUS
PRO RODULPHO PAULINO.**

Responsum pro veritate.

De obligationibus, & contractibus minorum, & mulierum
in Regno Neapolitano, & de pragmatica prima senatus consilii.
Vellejan. Et quid ubi contractum sequatur extra Regnum; Et de differentiis inter
minores, & mulieres.

S U M M A R I U M.

- 1. Facti series.
- 2. Quod in Urbe periculosum sit contrahere cum minoribus.
- 3. De iure communi cum quo vivitur in Regno Neapolitano iuramentum tollit omni obsequium.
- 4. De inconvenientibus resultantibus a divisione principatum.
- 5. In Urbe melior est conditio minorum quam mulierum.
- 6. Iuramentum in minoribus non tollit beneficium restitutionis in integrum.
- 7. Quando hoc beneficium competat, & an id proficiat.
- 8. Quando minor ætas perficitur, & de varietate.
- 9. De causa ob quam valet obligatio mulierum.
- 10. De pragmat. 1. ad Vellejan. in Regno Neapolitano.
- 11. De alia pragmat. 1. ad Macedonian.
- 12. Quis locus attendi debet, an contractus, vel domicili.
- 13. An ista questio intraret in casu ad aliquid effectum.

D I S C. LXVII.

Imposito per Jo. Nicolaum Verallu, de Oppido Leonif-
se in Urbe ubi moram trahebat, Censu ad favore Rodulphi
Paulini super bonis in eod. Oppido existentibus. c. obli-
gatione in solidum Lucretiæ Matris, & Caroli Antoni fra-
tris minoris adhibitis solemnitatibus statutorum Urbis, ubi
etiam morabantur, cum expressione causæ aëris alieni dicti
Io. Nicolai cujus carceratio imminerebat, ac etiam pro ali-
quibus domus indigentibus; Cum defuncto non solvendo, vel
defecto præfato Jo. Nicolao, Rodolphus creditor pro fructibus
decursis ageret ad bona censita possessa iure dotium per
dictam Lucretiam in patria commorantem, coram Iudice
loci per eam oppositum fuit de invaliditate obligationis ex
dispositione Regiæ pragmaticæ primæ ad Vellejanum, dum

oppidum prædictum, quomvis Urbis proximum, adeo
in ea ejusque territorio illius civis præsertim hyberno tem-
pore pro majori parte ex causa indolentium, & accidenta-
lem moram trahebat, atque in spiritualibus subiaceat par-
tem Episcopo Spoleitano, & partem Episcopo Reatino ut
occasione consimilis divisionis illius oppidi inter duas Ec-
clesias insinuatur disc. 24. de juris d. atamen in temporalibus
pertinet ad provinciam Apurinam Regni Neapolitani;
Quare ex parte Rodulphi desuper consultus fuit.

Distinguendo itaque personam minoris ab illa mulieris,
Quatenus ad primam pertinet; Respondi quod ubi habenda
non esset per Iudices de Partibus ratio solemnitatum
statutorum Urbis, ut non haberi supponebatur, tunc posita
ejus idoneitate, id ipsi creditori magis expediret, cum mi-
norum commercium valde periculosum sit in Urbe ob Sta-
tutum 151. & generaliter in omnibus obligationibus, &
contractibus, juxta sæpius insinuatum opinionem, cum qua
hodie vivitur, non sufficunt solemnitates materiales de-
creti Iudicis, & interventus proximorum vel eorum loco
Curatoris, nisi verificetur etiam causa utilis, vel non dam-
nosa; Multo vero magis in hac facti specie quod agebatur
de impositione census quam receptum est acquipollere
alienationi bonorum stabulium, ideoque cumulativè ser-
vari quoque debet forma alterius statuti 113. ut in specie
impositionis census habetur supra disc. 28.

E converso autem in Regno prædicto pro illas Constitu-
tiones vel pragmaticas nihil dispositum est quoad minores
sui juris, ideoque proceditur cum dispositione, ac terminis
generalibus juris communis, quibus attentis, ut pluries in-
sinuatum est, ea que per jus civile disposita sunt super alie-
nationibus aliisque contractibus prædictis minorum, quod
quodammodo ab aula recessisse videtur ratione iuramenti,
quod hodie transit in abusum atque in omnibus instrumentis
interponitur tamquam clausula de stylo Notarii apponi
solita, ut frequenter, improbativè tamen, advertitur; Et
per consequens intrant ea que habentur per Cæsares An-
tenica Sacramenta puberum c. si adversus vendit. & per Ca-
nonistas in c. cum contingat de iure jurando &c. per vestras de
donat. inter vir. & uxor.

Undè sequitur sæpius insinuatum inconveniens, quod in
Italia ob divisionem tot principatum, ac legum, & morum
diversitatem in omnibus penè materiis experitur, ut in
pene adjacentibus locis in uno Iustitia, albam, & in al-
tero nigram, sive in uno rubeam, & in altero viridem, &
in altero alterius coloris vestem habeat; Ut præsertim cum
majori inconvenienti ob mixturam fori interni praxis do-
cet in materia usurarum, & interusuriorum, ac censuum,
& cambiorum.

Hinc sequitur quod in Urbe ejusque districtu ob præ-
dictorum statutorum dispositionem melior sit conditio mi-
norum quam mulierum, non solum quia cum istis sufficit
servare formam statuti 151. cum illis vero tamen ejusdem,
quàm alterius 113. forma cumulativè servari debet, sed
etiam quia in aliquibus casibus præsertim in causam dotis,
mulier etiam absque necessitate valde contrahit absque so-
lemnitatibus, secus autem in minore in quod id non procedit
nisi ex causa necessaria ex pluribus insinuatis in sua se-
de sub tit. de dote: Econtra vero in dicto Regno, deorior
est conditio minorum, cum quibus nulla habetur prohibi-
tio, quàm mulierum ut infra.

Et quomvis etiam in Regno, non solum ex iure, vel
stylo particulari, sed etiam terminis juris communis, re-
cepta sit conclusio generaliter de iure vera, ut iuramentum
non adimat minoris remedium restitutionis in integrum ex
capite læsionis ex firmatis præsertim per Rot. super pragmat.
1. de minorib. n. fin. dec. 75. ubi add. Capyc. Latr. consil. 45.
Noguerol. alleg. 35. & communiter; Quod nimium de
facili ubique prædicandum venit ob supradictam ratio-
nem; quod iuramentum interpositum hodie transisse videatur
in abusum, adeo ut revera non adaperitur illa ratio, ob
quam apud antiquiores juxta illorum temporum mores illi
tanta vis tribuitur; Unde quando ista temporum vel mo-
rum differentia non reputetur sufficiens ad faciendum cessa-
re prædictorum iurum dispositionem, saltem nimium at-
tendi debet ad hunc effectum ut de facili istud remedium
requiendum sit.

Atamen ista dicitur via magis longa minusque proficua,
quàm sit illa statutorum Urbis, vel similia habentium
decretum annullativum ipso iure non obstante iuramento,
non solum quia illud agendum est in iudicio ordinario alio-
ris non solum in apto retardare iudicia exequutiva præser-
tim illud rigorosum ritus magnæ Curie Vicarie de quo disc.
116. de

116. de credito, & disc. 42. de Judic. & alibi. Sed etiam
quia ex parte minoris recurrentis ad hoc beneficium con-
cluditur justificanda est læsio, sine qua illud non conce-
ditur, etiam ubi agatur de minore fideiubente, quoniam
licet fideiussio reputetur actus de sui natura damnosus; At-
tamen id non sufficit, nisi probetur læsio, quæ deesse va-
leat ob idoneitatem principis juxta magis communem
opinionem de qua latè apud Capyc. Latr. d. consil. 45.
n. 16. & seqq. ubi concordantes.

Alia quoque accidentè differentia inter istum Principa-
tum, & alium in minoribus, quod scilicet in dicto Regno
generaliter minor ætas perficitur in anno decimo octavo;
In Urbe autem ex statuto in anno vigesimo; In reliquo
Ecclesiastico magna dignoscitur varietas, ob
quam præsertim in Republica literaria Iustitæ merito con-
tempribiles reputantur; Ut scilicet Alicubi vigeat dispo-
sitiio juris communis, ut minor ætas protrahatur ad annum
vigimum quintum, Alicubi verò sit in breviori ætate
juxta diversa statuta, quæ visagatur de loci adjacentibus
ejusdem penè eodemque morum, ut propterea ille,
qui non loco reputetur prudens, & habilis ad contrahen-
dum, transferendo domicilium in alterum, efficiatur im-
prudens, & inhabilis, & e converso, ita qui in neptius,
ut clarius explicatur in alio opere Italici idioma.

Quo verò ad obligationem mulieris respondit resolutione
pendere ab eodem puncto, an scilicet revera immineret
carceratio filii, adeo ut causa narrata verificaretur, unde di-
cenda esset necessaria ex illa necessitate morali, quam in-
ducit natura in maternis visceribus, & quæ causa iusta
reducit naturæ ex relatis per Deluc. ad Franch. dec. 578. cum
aliis de quibus supra disc. 33. & alibi; Uti etenim id non
bene verificaretur ut ex facti circumstantiis dubitari posse
videbatur, saltem in parte notabili dixi quod nimium dubi-
tari poterat, sive actus regulandus esset juxta leges unius
sive alterius loci.

Attento huiusmodi statu Urbis, illi satisfactum quidem
erat cum solita formalitate solemnitatum materialium,
quæ speciem quandam ceremonie inutilis importare di-
cuntur quando deest causa, vel deficit ille finis, vel ef-
fectus, ob quem desiderata sunt, ut pluries in precedentibus
advertitur; Et e converso ubi procedendum esset cum
legibus patriæ, adhuc idem dicendum veniret quoniam li-
cet dicta pragmatica prima ad Vellejan. in verbis percutere
videatur solas obligationes vel alios contractus factos
pro Viro; Atamen receptum est procedere in omnibus ac-
cessoriis vel fideiussoris obligationibus, quæ pro alio fiant,
adeo ut non propriam fed alienam obligationem mulier suscipiat
Franch. dec. 279. & 278. Merlin. contr. 55. p. 1. Prat.
disc. 22. lib. 2. & disc. 51. 3. De Luca ad Franch. dec. 578.

Neque suffragari posse advertebat iuramentum per quod
regulariter hujusmodi localium legum secularium dispositio
cessare solet, ut in specie alterius pragmaticæ ad Macce-
donium circa obligationes, alioque actus filiorum fami-
lias habetur apud Burat. dec. 44. & in aliis relatis disc. 143.
de dote, ac etiam non semel in precedentibus; Atamen
in hac lege contrarium dicendum venit magis; receptum
est ut iuramentum nullam faceret operationem ob indire-
ctam ejus enervationem, quia nempe actus præsumitur do-
lo extortus, ut agendo in specie de ista pragmatica habetur
disc. 143. de dote n. 61. ut advertitur pluries supra.

In dicto autem concursu legum localium, an scilicet at-
tendenda esset dicta lex Regni tamquam originis vel domi-
cili, aut illa Urbis, in qua mulier accidentaliter moraba-
tur, probabilius respondit, ut hæc posterior attendi deberet,
quodque propterea erronea esset opinio, in qua supponebatur
resideri, quoniam juxta superius insinuata disc. 29. &
in aliis, ista pariter dicenda venit questio potius facti quàm
juris, ex facti qualitate, & circumstantiis regulando, an scilicet
extra propriam patriam vel domicilium actus initus
fuerit sinceræ, & bona fide, quia nempe ex alio motivo ad
notabile tempus mulier in eo loco moram traxerit cum in-
certitudine, an ulterius permanura sit, ac propterea alter
contrahens iuste cum opinari poterit incolam vel domici-
liam quamvis accidentaliter, vel occasionelem, quoniam
ista distinctio domicilii fixi, vel vel occasioalis, percutit
diversum effectum contrahendi vel non contrahendi ve-
ram præsumitur pro istis favoribus, & odii, ac oneribus
juxta celebres decisiones Rotæ in Firmana codicillorum
apud Ottob. dec. 145. & 290. p. 10. rec. cum aliis disc. 37. de
preem. ubi de hac materia civilitatis, & alibi.

Secus autem ad hunc effectum, quoniam præsertim in ma-
gnis, & Metropolitanis Civitatibus, quæ forensibus magis

quam originariis repletæ videtur, esset tollere commercium
illorum incolarum, qui non essent originarii, sed occasione-
liter essent tales, ex quibus Romana præsertim Civitas ratio-
nabilem Curiam, ac etiam ratione culturæ ejus magni, & apti
territorii aliarumque rerum ad res agrarias, ac etiam ad mer-
curiam, aliaque industria præsertim pertinentium contingit, cum
creditor vel alter contrahens, qui non bene conficius de tali
mora accidentaliter divinari non possit, neque subtiliter inda-
gare teneatur ex qua causa, & quoniam animo illa persona
in Urbe moretur, secus autem si creditor, vel alteri contra-
henti id verisimiliter innocescat, & propterea cadat præ-
sumptio ut affectatè ad fraudandam legem patriæ originariæ
vel verè domiciliariæ accesserit, Ad instar corum que habentur
pluries in proposito filii familias se afferentis patrem
familias sive minoris se afferentis majorem, cum similibus.

Non agebam etenim veritatem distinctionis, in qua
supponebatur per Iudicem de partibus procedi inter sole-
mnitates, quæ respiciant habilitationem persone, & illas
quæ respiciant formam actus, ut priori casu non suffragetur
actum sequi extra territorium statuentis ex plene dedu-
ctis d. disc. 143. de dote n. 42. & disc. 21. de donat. sed dice-
bam quod id discreto pro facti qualitate iuxta prædictam
distinctionem, intelligendum esset.

Inutilis tamen ad rem ista questio videbatur, quoniam
sive unus, sive alter locus attendi deberet, effectus erit
idem, quoniam ubi attendi deberet locus contractus juxta
opinionem, in qua hodie Rota, & Curia residet, magis
rigorosa super veritate causæ tam de facto quam de iure
proceditur, longæque facilis mulierum contra annu-
lantur, ut patet ex tot casibus de quibus supra hoc tit. & alibi;
Ac propterea ubi creditor dubitare possit de sufficienti
justificatione causæ narratæ, illi consilium quod curaret eo
meliori quo possit modo se concordare, quodque alias non
contentus parte, alæ litis exponeret amissionem totius;
Incertum tamen est quid sequutum sit.

**CREMONENSIS REFECTIONIS DAMNI
PRO JOANNE BAPTISTA FELINO.**

Responsum pro veritate.

An in casu validitatis alienationis vel contractus, ille
in cuius damnum, & præjudicium tendat annullatio
ob alterius contrahentis impugnationem actionem
habeat contra Notarium pro damni refectione.

S U M M A R I U M.

- 1. Facti series.
- 2. An, & quando Notarius teneatur Partibus ad interesse de vitio instrumenti.
- 3. Et quid de illo Notario qui sit ordinarius Cancellarius loci p. viventis sub necessaria administratione.

D I S C. LXVIII.

Cum Claudia vidua sub narrativa quod esset tutrix, &
curatrix legitime declarata sex ejus filiorum, accepisset
ad censum à Fabrica Ecclesiæ Cremonensis libras tres
mille ex dispensatione sibi concessa per Senatum Mediola-
ni; Filii verò facti majores contractum impugnaverunt, ac
forte invalidum declarari obtinuerunt ob minus veram
narrativam prædictam, quod dicta mulier servatis servan-
dis legitime tutelam filiorum suscepisset, hinc fabricæ
administratores pro damni refectione se direxerunt contra
Jo. Baptistam Notarium de instrumento desuper inito ro-
gatum ejusdem fabricæ ordinarii Cancellarium, quasi
quod ejus culpa ad id non bene advertenti, istud damnum
proveniret, unde desuper ex parte Rei conventi pro veritate
consultus.

Respondi questionem hanc in specie antiquioribus relatis
tractari per Farinac. de fallit. q. 157. par. 1. à n. 2. ad 18. ubi
allegantur Plotus, & alii atque concluditur, & probabiliter,
quod ut constat de dolo vero Notarii, & tunc utpote de iure
nulla cadat questio pro refectione; Aut vero de hoc non
constat adeo versemur in dubio, atque incipientium dum
sit an adit dolo præsumptus, & tunc quidquid DD. pro
eorum consuetudine variant, decisio pendere videtur à cir-
cumstantiis facti, an scilicet illæ redoleant malitiam, vel
e converso simplicitatem, ut priori casu Notarius teneatur,
posteriori autem secus; Questio eadem in ambiguo, quæ
nam qualitas potius præsumenda sit, & in qua probabilius
pro communi usu, & praxi regula vel præsumptio, quæ
transfundat onus probationis in contrarium, assistit sim-
plici-

simplicitati pro exclusione delicti ex deduct. per Farinac. ubi supra Ludov. dec. Lucen. 13. n. 67. & segg. Rovit. pragm. 1. de Notar. n. 7. & 8. apud quos alii antiquiores.

Verum hac omnia ita infirmata pro noticia materiae extranea esse dicebam a casu, quoniam DD. five una five alteram tenentes opinionem loquuntur omnes cum praesupposito quod vitium non sit extrinsecum, & essentiale in contractu ratione inhabilitatis contrahentium, vel doli, & laesionis, seu metus, vel alterius similis defectus, sed fit in instrumento ob omnia solemnitates, & clausulas consuetae, & notas pro communi Notariorum stylo, & formulario adici solitas, ut (exempli gratia) sunt numerus testium, nomen Principis, annus, & indictio, clausula actum, & similia, vel quod Notarius non habens cognitionem personarum admiserit personas suppositas, quod diversam habere solet praxim pro diversis Principatuum legibus vel styli; In praesenti autem defectus ex his non proveniebat, cum instrumentum esset undequaque bene confectum, sed defectus proveniebat a potestate dictae mulieris, quae falso se asservit legitimam tunc, ac etiam falsam expressit causam, de quibus ad Notarium non pertinet, cum sibi sufficiat satisfacere in iis quae pertinent ad ejus officium, & pro quibus censetur rogatus ex deductis disc. 57. de testam. & alibi, adeo ut considerandum Notarium tanquam talem, ita simpliciter rogatum de confessione instrumenti, casus videretur disputationis dote indignus; Potissimum quia in instrumentum intervenerat etiam Judex loci Juris peritus.

3 Ratio vero dubitandi in eo consistere videbatur, quod ille non erat Notarius extraneus, qui accidentaliter a partibus contrahere volentibus rogatus esset de instrumenti confessione, sed erat secretarius, vel Cancellarius dictae Fabricae creditricis, quae est corpus inanimatum vivens sub legali, & necessaria administratione, adeo ut culpae incapax, & per consequens, ut culpa in non bene perquirendo veritatem narratorum Senatui, ac etiam veritatem causae, & versionem perneesse referenda est illis administratoribus quibus ex officio hujusmodi diligentiae incumbant juxta ea quae habentur, agendo de computata seu ratiocinatore Montis pietatis Urbis disc. 15. de tutor. & administrator. Verum super hoc responsum dare non potui, neque; iudicium pro veritate efformare ob deficientes facti notitias; Probabiliter tamen videbatur, quod non applicarentur ea, quae habentur d. disc. 15. de tutor. ex iis quae communis praxis docet in piis locis Urbis, aliarumque Civitatum, quod scilicet habeant Advocatos, & Procuratores, alioque sapientes, & peritos, per quorum manus negotia tractentur, Notarius autem, vel cancellarius sit simplex minister, quia adnotet resolutiones, & decreta, aliaque faciat ad inferioris, & subordinati ministri munus pertinentia.

FERRARIEN. TENUTE PRO NICOLAO FRESCOBALDO CUM DUCE MUTINAE.

Causa pendet in Rota.

De Constitutionibus Apostolicis prohibentibus alienationem in forenses, istoque inhabilitantibus ad acquisitionem, & retentionem bonorum in Statu Ecclesiastico, an & quando procedat.

SUMMARIUM.

- 1. F. Alii series.
2. Qualem speciem Status Ecclesiastici complectantur Apostolicas constitutiones super forensibus.
3. An leges latae pro Statu immediato comprehendant loca postea devoluta.
4. An constitutiones revocatoriae capiant concessiones ex contractu.
5. Capitula pacis fortius obligant.
6. De potestate Principis derogandi pactis, & conventionibus.
7. De Principe Supremo quando consideretur tanquam subditus.
8. De intelligentia legum prohibentium alienationem in forenses.
9. Privilegium libertatis alienandi in forenses, concernit favorem venditoris.
10. Actus consequuntur, & dependentes non habentur in consideratione.
11. Annulato actu, an veniant fructus.

12. An, & quando conditio sit resolutiva ex nunc ab initio, vel ex tunc, & de effectibus exinde resultantibus.
14. De resolutione Rota, & de motivo novationis.

D I S C. LXIX.

IN concordia nuncupata, eo quia occasione devolutionis Ducatus Ferrariae inita fuit in Civitate Faventis inter sedem Apostolicam & Ducem Mutinam pluries enunciata, & praesertim disc. 2. de feud. conventum fuit inter alia, in bonis allodialibus quae in Ditione dicti Ducatus penes ipsum Ducem remanebant, deberent ipse, ejusque successores quicumque, potiri iisdem immunitatibus, franchitiis, libertatibus privilegiis, & praerogativis, quibus ultimus Alphonsus, aliique Duces praedecessores potiebantur; Cumque inter alia bona hujusmodi esset quaedam magna Tenuta nuncupata Diamantina, quam de anno 1649. Dux Franciscus vendidit Carolo Mariae Frescobaldo Florentino pro pretio scutorum centum octuaginta quinque; millium, ad aliquos vero menses nempe de Mense Febr. 1650. supervenerit rigorosa constitutio Innoc. X. in Bulla 41. super forensium incapacitate, ac retractatione omnium alienationum, quae in forenses factae essent, idcirco stante praesupposito facto per ministros Ducis dicti Francisci Mariae quod nimium timeri posset de comprehensione istius alienationis sub dicta constitutione, quodque propterea infra praesentium terminum expediret ad rescissionem eandem, cum fecit sub conditione quatenus confutatio eam comprehenderet, & non alias, aliter nec alio modo, adeo ut in casu non comprehensionis habeatur, ac si facta non esset.

Sequuta postmodum dicti Caroli Mariae morte, Nicolaus Metropolitanus Ecclesiae Florentinae Canonicus ejus frater, & haeres, consilio habito a pluribus Congressibus, aliorumque locorum Jurisconsultis super non comprehensione hujus alienationis sub dicta constitutione, iudicium alienationis contra Ducem successorem instituit coram A.C. seu Praelato deputato, quae coram illo per plures menses disputata causa, super venit ad instantiam Ducis rei conventi rescriptum, ut iudex procederet de voto Rota, & atque in hoc statu causa pendet absque aliqua disputatione in Rota coram Albergo Decano coram quo post haec jam scripta sub die 13. Maii 1676. cum vororum tamen seclusa prodit resolutio pro non executione contra actorem ex fundamentum novationis, & de qua infra in fine.

In disputationibus itaque habitis coram dicto Praelato in forma contradictoria, ac etiam in pluribus Congressibus Advocatorum hujus partis aditricis pro directione, ultra ea, quae concernebant ordinariam, & competentiam intentioni iudicii, super quibus nimium, penaeque omnino certatum fuit; Quatenus pertinet ad merita negotii principalis, de tribus actum fuit; Primo nempe de dicta non comprehensione; Secundum an ea posita adhibere deberet rescissio; Et tertio super fructibus medii temporis.

Quoad primum advertebam, quod de tempore, quo prodit Constitutio tertia Sixti V. quae est prima, & originalis in hac materia, ista tenuta non erat de statu Ecclesiastico immediato, de quo solum illa disponit, non autem de veritate mediato, id est infudato in feudum regale verae dignitatis, cum verba mediato, & immediato adici solita, intelligenda veniant de illa mediatione impropria, quae consideratur in locis baronalibus, ut occasione bullae Baronum advertitur disc. 74. & 83. de feud. & alibi.

Et quamvis postmodum sequuta sit feudum devolutio, attamen scribendo more Advocati allegabam firmata per Rotam in casu, de quo dicto disc. 83. de feud. ut non per hoc iste Status caderet sub bullis jam editis; Verum reflectendo ad veritatem, agnoscebam, quod motivum non esset tutum; Tum quia contrarium videtur probabilius ex deductis eod. disc. 83. de feud. quia stante devolutione dicitur sequuta consolidatio istius partis cum antiqua integritate; Tum clarior ob superventum Constitutiones Clem. Octavi, Pauli Quinti, Urbani Octavi, & praedictam Innocentii editam per viam declarationis, ut propterea capiat etiam praeterita, dum de tempore editionis istarum Constitutionum, jam sequuta fuerat devolutio, istaque pars effecta erat de corpore immediato.

Eodem tamen veritatis sensu retento, solidum credebam alterum motivum, ut ob dictam expressam conventionem, bona tunc in eo libertatis statu existantia, atque huiusmodi restrictionibus non subiecta, suam continerent, ac retinissent, & retinerent libertate perinde, ac si devolutio sequuta non esset, adeo ut ista Ditione continerent in qualitate verae mediata, eodem modo, quo in cognitione causarum, & ne illi civis trahatur ad

ad Curiam, & extra proprios lares, ac etiam non subiectione aliquibus aliis Constitutionibus, & praesertim illi boni Regimini, & aliquibus oneribus praxis docet in ista Civitate, & ditione Ferrariensi, ac etiam in altera Bononiensi, atque in proposito jurisdictionis, ne ille causa trahatur ad Curiam, advertitur sub tit. de jurisd. disc. 80. & infirmatur occasione Status Urbini a simili disc. 2. de donat. & alibi.

Et quamvis in hac civitate adstat istis Constitutionibus conforme super incapacitate forensium, & de quo aliis relatis in specie agitur apud Royas dec. 432. & 335. non tamen efficit haec bona utpote Principis, & Domini hujusmodi statuti non subiecti: Ac propterea difficultas restringi videbatur ad amplissimam revocationem quarumcumque facultatum, privilegiorum, & licentiarum contentam in eadem Innocentiana Constitutione, an istam conventionem comprehendere.

Atque in hoc licet Scribentes in contrarium pro currenti ineptia, multa cumulante collecta ex Barb. in tract. de claus. & dist. & ex alibi hujusmodi collectoribus, circa amplitudinem verborum & clausalium ejusdem Constitutionis; Attamen istis generalitatibus rejectis, utpote revera contemptibilibus, quando ex facti circumstantiis in contrarium urgent substantia veritatis, quae omnino, ac principaliter attendenda est, ut nimium frequenter, sed semper opportune advertitur. Omnino veriorum esse dicebam partem negativam non comprehensionis hujusmodi conventionis sub dicta revocatione, quantumvis ampla, & effrenata, cum intelligenda veniat de concessionibus privilegiativis per viam gratiae, non autem de istis per viam iustitiae, & per viam contractus correctivae, in quibus ubi etiam adit potestas, praesumenda non est voluntas, ex plene deductis disc. 148. de Regal. & alibi pluries, & praesertim sub tit. de Jur. disc. 10. & 63. occasione Constitutionum revocatoriarum, cum similibus.

Fortius vero in hac specie contra dictum in capitulis pacis, & pro compositione belli, cum artibus hujusmodi conventiones ligent hostes inviolabilem habeant observantiam, ut bene advertit S. Ambrosius lib. 1. officiorum c. 28. atque in specie hujusmodi capitulorum pacis advertitur disc. 27. de feud. & alibi.

Alii pro hac eadem parte Scribentes insistentibus quoque in defectu potestatis, stante quod agebatur de conventionibus initis cum altero Principe Supremo, & non subito facti revocationem, adit cum alio, quae habentur apud Silium 6. n. 3. Altogr. consil. 70. n. 28. lib. 2. apud quos alii, sed quamvis Ego more Advocati scribendo ad causae opportunitatem, idem motivum deducere, Attamen reflectendo ad veritatem, non placebat, quoniam id procedit in iis bonis, vel iuribus, quae sunt in loco tertio, vel in loco incerta situationis, & an sub unitis, vel alterius Principis ditione sita sint, adeo ut alter utriusque superior de hoc sit Judex, ut exempli gratia, contingit in illis conventionibus, quae fiunt inter duos feudatarios Imperiales habentes ratione feudi majoris, & verae dignitatis, iura supremi Principis, dum recognoscunt Imperatorem in Superiorem, & hujusmodi controversiarum iudicem, vel quod pro frequentiori praxi Judex, & decisor sit exitus belli, seu major vis, & potentia, ut infirmatur disc. 146. de Dote n. 16. & alibi; Secus autem in hac facti specie, in qua tractatur de bonis privatis, & indifferenter existentibus absque dubio in ditione, & Principatu Papae, ac propterea quamvis Dux in ejus Ducatu, & ditione habeat iura Supremi Principis; Attamen in dominio, & possessione hujusmodi privatorum bonorum, vel etiam feudorum inferiorum iurium Baroniae reputatur tanquam simplex Baro, & homo privatus, & subditus, ut pluries advertitur cum exemplo tradito per Gl. & Barr. alioque antiquiores de Rege Anglie in Ducatu Vasconie, quod in eo consideratur tanquam Dux, & non tanquam Rex; Et de Episcopo, qui sedet in Capitulo tanquam Canonicus, vel in Academia tanquam scholaris, cum similibus; Atque alibi pluries infirmatur praedictum exemplum Regis Poloniae, & Magnis Ducis Etruriae, ac Ducis Parmae possessionem feudam, & bona in Regno Neapolitano quod considerantur tanquam Baronum, vel tanquam privati, non autem tanquam supremi.

Pro eadem non comprehensione, ex deficienti voluntate potius, quam potestatis defectu, ut supra, inhaerendo praedicto vero, ac omnino servando stylo inquirendi substantiam voluntatis Legislatoris, ac rationem legis ejusque finem, & effectum, ponderabam, quod ut advertitur ad materiam

hujusmodi legum, & Statutorum inhabilitantium forenses supra hoc eod. tit. disc. 39. & disc. 77. de Regal. ac etiam disc. 149. de dote, & alibi hujusmodi leges reputari solent iustae, & favorabiles, ac motivo, ut bona conferuntur in civibus, & incolis, qui in loco onera supportant; Ista veritatio in praesenti non intrat, cum bona non essent penes Civem, & incolas, sed penes externum qui nulla onera supportabat, adeoque nil refert mutari personam de uno forensi in alterum; Quinimo advertebam magis expedire huic Principi Legislatori, ejusque Principatui, hanc immunitationem fieri in eodem genere forensium, utpote in Principe, & Potente in privatum non potentem, qui tractu temporis ista occasione civis, vel incola fieri posset, vel facilius publicis oneribus supponi, aut quod ab eo facilius bona ad cives, & subditos transeant, ac propterea ita melius, & pinguis finis, vel ratio legis adimpletur, adeo ut congruant considerationes, de quibus disc. 45. de fidei. & alibi.

Ponderando etiam, quod ista conventa libertas non respicit solum favorem illius forensis, qui bona acquirat, & retinere velit, quo casu dici posset illum non esse comprehendendum in dicta concordia, sed principatiter respicit favorem Ducis contrahentis in eadem concordia, cujus principatiter interest habere hanc libertatem alienandi in quoscumque, & non subjacere hujusmodi legibus, & prohibitionibus, ut ita facilius, & cum melioribus conditionibus suorum bonorum dispositionem habeat, ut in proposito Ecclesiasticorum pro frequentiori praxi exemplarici solet ex deductis per Sperellum dec. 41. Ciarlun. contr. 22. & sub tit. de regal. disc. 53.

Et nihilominus advertebam recte dici posse, ut etiam emptor esset comprehensus in concordia, utpote loquente non solum de hereditibus, sed de successoribus quibuscumque, sub quorum genere iste successor particularis recte venire dicitur.

Quoad secundum punctum, Posita ex praemissis non comprehensione facilis, ac plana esse videbatur consequentia super inefficacia dicti actu gestis super rescissione, utpote gestis cum dicto praesupposito, quo cessante, ille corrui tanquam ex deficienti voluntate; Clarior vero ob clausulam non aliter nec alio modo, &c. quae omnino removens consensum ab actu, ac etiam ob alia verba, magis expressa, sed solum in casu comprehensionis, &c. dum circa clausulam cade-re potest dubitandi ratio, de qua disc. 57. de rest. & disc. 26. de jud. & alibi pluries an scilicet adjecta fuerit ex formula Notarii, sed dicta verba conveniunt litteraliter Partium voluntatem.

Non negabatur hinc per Scribentes in contrarium, utpote in iure certa, hodieque vulgaris, insistebatur tamen in aliis & subsequentis actibus factis super diversis conventionibus circa restitutionem pretii per venditorem recepti, vel recipiendi accepti, quasi quod ita contrahentes a contractu recedere voluerint, quamvis necessitas eos non cogere; Verum erat leve fundamentum, quoniam hujusmodi actus fuerunt consequentivi, & dependentes a dicto principio infecto, ideoque ab eo regulandi, ac non habendi in consideratione ex his, quae aliis relatis habentur apud Oeth. dec. 204. n. 1. & segg. dec. 89. n. 5. & 153. n. 13. p. 7. v. & frequenter, adeo ut ille punctus videretur modica disputationis dote dignus.

Demum, quoad tertium punctum fructuum medii temporis post rescissionem non potui super eo efformare maturum iudicium, cum semel, & quasi obiter scripserim, non visis iuribus Partis averfae.

In hac itaque scriptura dicebam pro pertinenti fructuum ad actorem, quod cum ex deductis super primo puncto actus ex defectu voluntatis habendus veniat pro infecto ab initio, tanquam ex radice infecta, & propterea causa reducit ad non causam, & ens ad non ens, hinc de consequenti quatenus resultat, quod dominium jam translatum in emptorem ab eo nunquam fuerit adicitum, ac propterea secum trahat fructus, tanquam amittitum, ut alii relatis habetur apud Coccin. dec. 933. n. 3. & per tot. dec. 1. n. 8. & 9. p. 1. v. & in aliis.

Atque ad id probandum deducebam ea quae habentur disc. 31. de feud. super pertinentia fructuum ad venditorem ab initio, quamvis emptor illud possideret in implicito statu validitatis, quia assensus expediti potuerit, ob cuius defectum tractu temporis contractus revocatur, cum obligatione tamen venditoris rescindi emptori interesse, vel fructus recompensativos pretii, quod interim in manibus haberit ex equitate ponderata in l. curabit, prohibente retentione rei, & pretii, quod actor non negabat, dum in hac facti specie cadere non

non poterat ille sibi præjudicialis effectus, de quo *cod. disc. 31.* ut hoc interesse metam fructuum excedere valeat; Tū quia juxta opinionem, quam inconcusse tenet Curia probabiliorem quidem, hoc interesse metam ipsius rei fructus non excedit, ne detur fictio supra veritatem ex deductis *disc. 17. & seq. de usur. & alibi.* Tum etiam, quia non integrum pretium, sed ejus partem, ut supponebatur minore in manibus retineat, ideoque semper sibi expediebat.

In idem quoque ponderando ea, quæ habentur *disc. 1. & 3. sub hoc cod. tit. in proposito restitutionis fructuum, ad quam teneatur emptor honorum Ecclesie,* ubi servata non sit forma *Extrav. Ambrosiense,* vel ubi de alia nullitate ipso jure agatur etiam inter privatos, quæ a dolo expresso, vel a præsumpto ratione enormissimæ læsionis resultet, sive à neglecta forma Statuti, quod habeat decretum annullatum cum similibus.

Et licet supponeretur in contrarium consensu fundamentum in propositione, de qua præsertim *sub tit. de servit. ad materiam retrahitur, & alibi,* quod emptor, qui pacto resolutivo, vel alteri speciei resolutionis ex tractu legali, vel conventionali subiacet, interim dicatur verus, ac perfectus dominus ob implicitum statum validitatis, in quo actus fuerit, ideoque licet sequatur resolutione, illa retrahatur ad initium ad effectum resoluti vendi hypothecæ, & vincula per emptorem intermedium possessorem adjecta, non tamen deur hæc retrotractio ad effectum fructuum percipiendorum aliorum effectuum consummatorum, in quibus non intrat regula *cum cessante &c.*

Adverberam tamen propositionem esse veram, sed fallaciam consistere in applicatione juxta frequentiorem contingentiam; Ideoque ad æquivoce tollenda dicebam advertendum esse ad diversas species pactorum, vel conditionum pro ductum aliorum contractuum, vel conventionum resolutionem juxta distinctione, de quibus *disc. 154. de fidei. disc. 73. de test. & alibi pluries* quod scilicet alia sint conditiones suspensivæ, aut alias tales, ut ex tunc, & ab initio admittantur ad actum, adeo ut sint ab initio, & intrinsecè resolutivæ, seu veris negent actum, ejusque initio se opponant, ne unquam nascatur; Et alie sunt causales aut voluntariæ, vel mixtæ, quæ pendet a futuro eventu, sive à futura declaratione voluntatis, adeo ut possint non contingere, seu non verificari interim verò actus suam recipiant perfectionem; In hac etenim secunda specie rectè procedit dicta propositio super intermedio implicito statu validitatis, secus autem in prima, quæ fingit, quod actus nunquam gestus fuerit.

In priori autem, non autem in posteriori species nos verari dicebam, quoniam ex tunc, & in ipso actu, in quo rescissio facta est, inerat, ac verificatur conditio ademptiva voluntatis, & animi illum non faciendi, adeo ut percuteret initium, seu radicem, quamvis ipsis contrahentibus, vel disrudentibus pro humani intellectus imbecillitate id non innotesceret, cum hoc non tollat ejus veritatem, & existentiam, Ac propterea subsequens declaratio, vel certificatio importare non dicitur conditionis purificationem, quæ nunc sequatur, sed apertura ejus, quod ex tunc, & ab initio inerat, quamvis nobis obsecrum esset, sed subsequutus eventus id aperit tanquam per speciem excussionis græmorum à specie, quo exemplo utitur *tex. celebris in l. adeo 7. ff. de acquir. rerum dom. atque frequenter* adverteitur sub diversis materiis, præsertim *verò sub tit. de benef. agendo de provisionibus in forma dignum, cum similibus.*

Post hæc scripta, assumpta disputatione in Rota corâ Albergato sub die 13. Aprilis 1676. super dubio, an instrumentum esset exequendum cum scissura tamen votorum, ut supra insinuatè est proditæ negativæ resolutioni huic Parti contraria, ex eo fundamento, quod per plures conventiones subficientes inducta esset omnimoda novatio, ad quam Scribentes in contrarium se restringendo, penè voluminosam faciebant tractat omem, super novationis inductione ratione incompatibilitatis, ac etiam super ejusdem novationis operatione, & effectibus extinguendi omnia priora iura; Et præsertim insistendo in *tex. in l. de lege 6. in fin. ff. de l. commiss. ubi* quod post lapsum terminum recipiente venditor pretium censetur pacto renunciaffe; magnum quoque fundamentum constitutendo in *dec. 1966. Coccin.*

In hoc autem dicebam etiam cum aliquo sensu veritatis, quod inanis repletio chartarum, ac superfluous improbus labor adhibitus videbatur in probando id, quod non erat in controversia, cum non dubitaretur de inductione novationis, quando verificetur omnimoda incompatibilitas, minufque de novationis effectibus quando illa supponenda sit,

aut de remissione pacti commissorii, vel aliis resolutivi per receptionem pretii, vel alium actum æquivalentem, sed punctus erat in applicatione, in qua de more consistere videbatur fallacia; Siquidem cum retento præsupposito, ob quod processum fuerat ad rescissionem; sequeretur tanquam consequens necessarium ad emptori restituendum esset pretium, nisi alius venditor haberet rem, & pretium, hinc proinde omnes actus sequuti super modo restitutum pretium habebant eandem conditionem, vel idem præsuppositum tanquam connexi, & consequentivi, ideoque nullatenus videbatur verificari incompatibilitas induciva novationis, dum actus consequentivi, & gestu retento eodem præsupposito, vel principio, eodem morbo laborant ut supra.

Et quoad dispositionem d. *Tex. in l. de lege cum concord. apud Coccin ubi supra;* & alios dicebam id rectè procedere in pacto commissorio, ac aliis, quæ dependant ab animo, & voluntate contrahentium, vel eorum alterius, in cuius facultate repositum est remittere, & nolle uti, secus autem ubi agitur de conditione, quæ in substantia ex tunc certa, sed contrahentibus ignota, quoniam donec illa detegatur, intrans terminum continuationis falsi præsuppositi, quodque eo retento omnes actus gestu fuerint, ideoque referuntur ex hoc morbo nullatenus placuit, atque reflectendo ad solam veritatem improbabilis visæ est, licet circa resolutionem dubitè, ut potè male conceptæ ex hac parte haberem difficultatem potius ratione ordinis, & ineptiæ iudicii, quam ratione iustitiæ.

PISANA COMMENDÆ
PRO JOSEPHO MARIA CASCINA
CUM CATHARINA CEPPARELLA.

Responsum pro veritate extra Curiam.

De perfectione, ac probatione transactionis, ex quibus illa benè conclusa, & perfecta dicatur; Ac propterea effectum sortiri debeat.

S U M M A R I U M.

1. **F**alsi series.
2. De statuto Pisano, ut conjux non possit testari favore conjugis, & filiorum.
3. Quomodo dandum sit consilium.
4. Transactio non requirit scripturam.
5. Declaratur.
6. Generaliter de eodem in aliis contractibus.
7. Supplex libellus pro beneficiis Superioribus, ad quid attendatur.
8. De fide testis mediatoris.
9. De aliis speciebus probationis.
10. Quid in hoc operetur ratio pie causæ.
11. Quando interesse, sit principale, vel secundarium.
12. Exequutio dispositionis non percussit substantiam, vel probationem.
13. De donatione onerosæ revocabili.
14. Transactio habet viam exequutivam, quando declaratur.
15. De iudicio mantentionis an, & quando expresso in parte acquiratur in toto, & quomodo.

D I S C. LXX.

Cum Flammeta, filius destituta, hæredes instituisset filios Joannis Baptistæ Cepparelli, ex diverso matrimonio susceptos, quodque dispositione in eis effectum non sortiente, deberet ex hereditate erigi Commenda ordinis S. Stephani, Franciscus Cascina ab intestato Successor præteritus dispositionis invaliditate ex statuto Pisano probente mulieri disponere ad favorem Viri, ejusque filiorum, & cuius statuti vigentis quoque in statu Plumbinio mentio habetur *disc. 32. de test. possessionem* omnium hereditariorum adeptus est; Quare exorta controversia devenitum est ad concordiam sub reservatione beneficii M. Ducis Hætruræ hujus ordinis Magistri, ut dimissis per Cascinam bonis Cepparelli, deberet iste, cum eis pro rata cur. sex millium erigere Commendam, cuius primus commendatarius esset ipse Cascina, cum participatione tamen locum fructuum pro rata annuor. cur. 136. reliqui verò fructus esse deberent unius ex filiis ipsius Cepparelli, in cuius linea masculina in futurum post Cascinam mortem Commenda residere deberet, ea verò extincta transiitum faceret ad illam Cascinæ; Quare ex tunc prius quam ad alium devenerit actum Cascina restituit bona Cepparelli, & conversò iste solum recepit dictam annuam præstationem, ob

cujus

cujus denegationem per aliquos annos controversia, per Rotam Florentinam, seu aliam Magistralium Cepparelli cum subsequito effectum condemnatum fuit ad continuationem solutionis, istaque occasione porrecta fuerunt preces M. Duci pro erectione Commendæ cum superadditione aliorum cent. mille, & decretatione quoque in forma consueta, subsequuta, executione tamen neglecta, atque de anno 1661. sequuta est utriusque mors, superfluitibus ex Cepparelli duobus filiis masculis, & una femina, & ex Cascina pariter duobus masculis in pupillari etate.

Cumque de anno 1669. per mortem dictorum filiorum Capparelli ejus linea masculina defecit, Hinc Joseph Maria filius primogenitus dicti Cascinæ factus adultus consilium pro veritate petit, an & quale ejus foret pro dicta Commendæ erectione, & executione, juxta præfatam conventionem normam, quæque remedium pro hoc fine affectu suspenderet; Ideoque in responso desuper dato duas efformabam inspectiones; Unam meritorum in negotio principali; Et alteram ordinis, postquam opus assumendum esset, qualis nempe ad id, vel remedium competeret.

Quatenus pertinet ad primum, dicebam punctum esse potius facti, quam juris utpotè pendendum ex pondere probationum, quæ desuper haberentur, eisque non visis, certum, ac tutum dari non potest iudicium, dum etiam eis visis, quoties non sine pluraquam claræ, & conclusentes, idem sequi solet, cum probationum materia, præsertim per testes, & per adminicula sit arbitraria ex relatis *disc. 32. de jud. in arbitrariis etenim facile non est affirmare iudicium, ob plures in sinuatum ingeniorum varietatem, ob quam id quod, ubi videtur notitia exceptionum, quæ per alteram partem deduci possent adversus testes, aliaque probationum species; Ideoque clarus, ac perpetuò damnabilis est illorum professorum error quita per unam partem consulti, non reflectendo ad ea, quæ possunt in contrarium deduci, de facili pro requiritibus respondent, illos cum nimia facilitate ad lites excitando; Et utinam non turpis lucricupiditate, lid ferret, & frequenter cum magna iactura illorum, qui ad eorum consilii, & peritiæ opem recurrunt pro beneficio, & reportant maleficium.*

Juxta verò præsupposita contenta in nota transmissa, servato maturiori iudicio, eisque mutatione, quatenus vel præsupposita non subsisterent, vel adversus illa relevantes exceptiones in progressu causæ per alteram Partem deducerentur.

Dicebam pro requirente adhibentem respondendum videri, quod scilicet sufficientes adessent justificationes dictæ conventionis, qua posita, intraret regula vulgaris *Textus in leg. ille aut ille, ff. de legat. 3. quod scilicet in claris, non intrant questiones, & argumenta, dum conventio erit super pertinentia Commendæ, pius ad lineam masculinam Cepparelli, deinde verò ad istam, ideoque cum illa defecisset, posita sufficienti dictæ conventionis probatione, nulla suberat dubitandi occasio.*

Neque dubitandum videri dicebam quin probationes per 4 testes, & per alias species sufficienter, quamvis ad instrumentum, vel aliam scripturam inter ipsos contrahentes deventum non esset, quoniam nullibi cautum est in iure, ut ad essentiam ac perfectionem transactionis necessaria sit scriptura, quodque illa justificari non possit per alias species probationis, eodem modo, quo in qualibet alia conventionem habemus, quoties alias in iure communi, vel particulari scriptura non sit expressè desiderata; sive quoties non constet, quod illa ad substantiam potius quam ad probationem à partibus volita fuerit, ut *sub tit. de empt. & vend. ac etiam hoc tit. in Senogalitan. disc. 52. & alibi non semel advertitur, & in specie lunt Text. in l. si ve apud acta, & l. cum te Cod. de transact. cum concord. per Valeron. de transact. q. 6. n. 5. Penia dec. 995.*

Et quamvis in isto contractu, cum aliqua majori circumspeditione, procedendum sit in hoc assumpto, cum ille regulandus non videatur in hoc proposito justificandi ejus per seclam conclusionem, eo modo quo in emptione, & venditione, sive in locatione, & conductione, aut in mutuo, & similibus, qui cum simplici consensuum conjunctione inter ipsos contrahentes fiant; Ex ea differentie ratione, quod iam maturius, & cum majori tractatu, ac etiam cum consilio sapientum, ubi præsertim agatur de controversiis jam in iudicium deductis ille perici solet; Ac propterea ex eadem ratione magis communis, ac frequentior praxis docet, ut nonnisi cum instrumentis, vel cum privatis scripturis ad formam capitulorum perficiatur, nōdeat frequens praxis

doceat, ut etiam post confectas, & revisas, & accomdatas minutas, in ipso actu stipulandi vel subscribendi, totus tractatus dissolvatur.

Attamen id percuit majorem difficultatem concludentis probationis ratione inverisimilitudinis, vel contrarii usus, ut propterea testes debeant esse magis exempti ab exceptionibus, ac etiam magis concludentes, bonaque scientie causas assignare debeant, cum ea que ortenus concludi soleant potius velleitatem, vel preparationem futuri contractus per instrumentum, vel scripturam perficiendi reolere solent.

Sed non per hoc inferendum est ad præfatum scripturæ necessitatem, quoniam etiam in aliis contra quibus emptio, & venditionis, & conductionis, & præsertim ubi ista sit de publicis vedigalibus, vel similibus iuribus vulgo sub appallus vel arrendamenti nomine explicari solita, atque concludi cum capitulis ex relatis pluries *sub tit. de Regal. cum similibus, ut etiam adverteitur in Senogalitan. bonorum hoc cod. tit. disc. 52.* Et sic id non respicit substantiam, sed majorem difficultatem probationum, majoremque rigorem in eadem justificatione.

Hinc sequitur, ut & in hoc praxis doceat consuetum frequentem nostrorum errorem procedendi cum generalitatis in abstracto, atque auctoritates, vel decisiones quæ aliis quos percutiant casus omnibus aliis indiscriminè applicare, quoniam reflecti debet ad singulorum casuum circumstantias resultantis, à qualitate loci, personarum, & rerum, quæ in contractum deducuntur, ac etiam ab observantia, quæ non quidem, ut istæ considerationes concludant per necessesse requisitum scripturæ ad substantiam, sed ad effectum assistentiæ, vel resistentiæ verisimilitudinis, ob quam maior assistentiæ, vel resistentiæ minor sufficiat; Ac jor desideretur probatio, vel respectivè materia dicenda est, propterea facti potius, quam juris ista materia dicenda est, ex ipso facto particulari, ejusque individualis juris, vel ex doctus, quàm ex regulis, & propositionibus arbitrio, quod tamen legale à dictis sortiri, & propositibus directum sit, non autem cervicolum.

Applicando itaque ad rem; Pro concludenti probatione respondendum esse visum est; In primis ex eo quod rectè dici potest adesse scripturam habentem speciem instrumenti, vel capitulationis in supplici libello ut supra porrecto M. Magistro, ejus decretatione quoque subsequente; Non quod ista sola scriptura sufficiat, cum ex unius parte, utriusque contrahentis nomine porrigi poterit; Ac etiam quia ubi supplicatio pro beneficiis non porrigitur pro confirmatione, vel revalidatione contractus iam initi, & quo casu, etiam ante executionem operatur effectum excludendi penitentiam alias competentem ex relatis supra *disc. 1. & alibi pluries*, quod tamen neque certam habet regulam cum alicubi omnimoda perfectio requiritur solet ex relati præsertim *disc. 31. & 106. de feud. & alibi, sed procedat ad effectum obtinendi beneficium pro habilitatione ad illum actum faciendum, tunc integrum est non facere, atque ad huc actum esse dicitur in via potius, quam in termino; Sed ut aliis concurrentibus probationibus per testes, vel per alias species, super quibus cadat dubitatio, ista scriptura nimium attendenda veniat, pro actus basi, & regulatione.*

Plures itaque species, vel probationes, sive plura adminicula, & argumenta concurrant; Primò nempe supponebatur adesse attestacionem qualificati mediatoris longè majori fide digni, quàm sit simplex testis, qui deponat de facto proprio, nullumque habet interesse proprium, ex iis, quæ in specie testis mediatoris qualificati, & contradistincti à pro-neta habentur *disc. 27. de Vere, & disc. 34. de iud. & alibi.* Secundò ab effectu, vel observantia, tam super dimissionem honorum per intestatum successorem, quam fit per solutione dictæ annuæ præstationis per multos annos, etiam cum iudiciali coactione ut supra; Et præsertim quia non per simplicem pedaneum iudicem, sed per qualificatum Tribunal Collegiatum primi ordinis in eo Principatu, ut pariter ad effectum regulandi arbitrium considerandum venit ob majorem assistentiam præsumptionis, ut non nisi cum legitimis justificationibus iudicatum emanaverit.

Tertiò ob veritatis primordium resultantis à testamentaria dispositione mulieris ut supra ob ejus invaliditatem aliis resultantem ex statuto loci; Et quartò ob favorem pie causæ, ob quem leviores probationes sufficere solent; Non quidem ut favor Ecclesie, vel pie causæ supplet imperfectionem voluntariæ, vel aliam imperfectionem naturalem, sed ut ob minore suspectioem falsitatis, & machinationis, quæ cessante interesse privato considerabili non de facili præsumi

mi

